

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Religio b cum uariis

Non dicatis aliquid proprium sed sint nobis omnia communia et distribuatur unicuique uestrum a preposito uestro uictus et tegumentum, non equaliter omnibus quia non equaliter ualetis omnes, sed pocius unicuique sicut cuique opus fuerit. Sicut legitur in actibus apostolorum quia erant eis omnia communia et distribuebatur uniuersis, sicut opus fuerat. Qui aliquid habebant in seculo quando ingressi sunt monasterium, libenter uelint illud esse commune; qui autem non habebant, non ea querant in monasterio que nec foras habere poterunt, sed tamen eorum infirmitati quod opus est distribuatur, eciam si paupertas eorum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire, tamen non ideo putent se felices esse quia inuenierunt uictum et tegumentum quale foris inuenire non potuerunt. Nec erigant ceruicem quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant et terrena bona non querant ne incipient esse monasteria diuitibus utilia, non pauperibus si diuites illic humiliantur et pauperes illic inflantur.

Augustinus de communi uita uel regula clericorum.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

nobis] uobis P V¹ V² L¹ L²; unicuique uestrum] vestrum vnicuique P V¹; cuique *om.* C; distribuebatur] distribuebantur (*cor. intra*) B; uniuersis sicut] singulis prout cuique V² L¹ L²; fuerat] erat P V¹ V² L¹ L²; ingressi] ingresse V²; uelint] voluerunt P V¹ V² L¹ L²; habebant] habeant C, habent P V¹; ea] aliud C; foras] foris V² L¹ L²; poterunt] poterant P V¹ V² L¹ L²; tamen] cum C; distribuatur] tribuatur V² L¹ L²; paupertas] pauperies V² L¹ L²; eorum] earum V²; foris] foras P V¹; ipsa] ulla C; poterat] poterant M; ceruicem] seruicem C, sibi mentem P V¹; si] sed P V¹; uel] et P V¹; Augustinus de communi uita uel regula clericorum] idem in regula tertia V² L¹ L²